



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Devoti Admodum Et Consolatione Pleni Confessionales Psalmi Septem

Isidorus <A Cruce>

Dillingæ, 1675

Gratiarvm Actio contriti peccatoris, veniam à Deo pro peccatis suis
impetrantis, Sive Psalmus Evcharisticus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53188](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53188)

GRATIA RVM

*Actio contriti peccatoris,
veniam à Deo pro pecca-
tis suis impetrantis,*

SIVE

PSALMUS EVCHA- RISTICUS.

Immensas tibi gratias ago, Cle-
mentissime & piissime Deus;
quòd recolens tot mala mea, non
horreo inde; nec erubesco, confi-
teri tibi iniquitates meas in te, ut
confitear nomini tuo misericor-
dias tuas in me.

Misertus es enim terræ, & ci-
neris, & placuit in conspectu tuo,
reformare omnia deformia mea,

F

&

& servare me ab aquis multis, ne absorbeat me profundum.

Ad inferos irem rectà per omnia scelera mea, quæ patrarem; nisi tu Domine DEUS, & Ductor meus in præcipitium me euntem reduceres ad te; quia via, veritas, & vita es. *a*

Et nisi caliginosam mentem meam splendore lucis tuæ irradiares.

Ut videns me in terra oblivionis, & in regione dissimilitudinis, clamarem ad te de profundis ignorantiae meae.

Et cognoscerem, quia tu Deus, solus Salvator & Liberator meus es: qui eripuisti me de viis meis pessimis, & stimulos, quibus inde avellerer, admovisti.

Quid

a. Iohann. 14.

ne
n-
a;
or
m
is,
cā
o-
s,
g-
s,
is
is
e
d

Quid ergò retribuam tibi, pulchritudo mea, dulcedo mea, pars mea, DEUS in æternum?

Pro miris modis, quibus usus es ad corrigendos; ac dirigendos gressus meos in viam salutis!

In vanitates ferebar, immemor tui, longéque faciebam à te vias meas.

Cùm misericordiâ motus super me, obscœnam vitam meam de cœno terrenæ voluptatis ad meliorem frugem revocâsti.

Indomitumque, & effrœnem animum meum, in chamo & fræno calamitatum ac laborum constrinxisti, ut approximarem ad te.

Libenter itaque gloriabor in infirmitatibus, & afflictionibus meis, à te immissis.

Vt inhabitet in me gratia tua ;
cui debeo, quòd tot dimiseris mihi
mala , & peccata mea tanquam
glaciem solveris.

Pro doloribus verò meis, tan-
quam pro beneficiis, ac donis tuis
(quibus salva facta est anima
mea) gratias agens, vitulos labio-
rum meorum offeram tibi.

Dicens : Benedic anima mea
Domino, & noli oblivisci omnes
retributiones ejus !

Qui propitiatur omnibus ini-
quitatibus tuis, qui sanat omnes
infirmities tuas.

Qui redimit de interitu vitam
tuam, & coronat te in misericor-
dia, & miserationibus, replens in
bonis desiderium tuum.

Ecce, quomodo suscepit me

COL-

consolationes miserationum tuarum, quibus illuxisti mihi, Deus meus! consolator meus!

Vt amplexarer te super omnes seductiones, quas sequebar.

Ideò precor te gloria mea, celsitudo humilitatis meæ, & requies laboris mei.

Ne deficias in auxiliando mihi; ut neque ego deficiam in confitendo tibi misérias meas, & miserationes tuas.

Sed benignus accipe Sacrificium confessionum mearum, de altari linguæ meæ.

Et da mihi Spiritum timoris, ut à promissionibus tuis concipiens, deinceps coelestibus foveatur anima mea, & parturiant Spiritum solius salutis.

Sub umbra manûs tuæ prote-
ge me, *a* & in sinu misericordiæ
tuæ fove me.

Ne implumem pullum concul-
cent, qui transeunt viam.

Sed mitte Angelum tuum, qui
eum reponat in nido, ut vivat, do-
nec volet.

Tibi que jugiter inhæreat, te
assiduâ orationibus, pulset: te pos-
sideat in se, sisque ei omnia in om-
nibus.

Sicut pullus hirundinis, aut
columbæ gemebundus pro esca ad
matrem clamat, sic & ego gemens,
& flens in hac lachrymarum valle
ad te clamabo DEVS meus, & Ad-
jutor meus in necessitatibus.

Vt eruas me ab omni tentatio-
ne us-

ne usque in finem, & velut adhuc
lætantem nutrias.

Vt accepto virtutis tuæ robo-
re, quamdiu in stadio hujus mun-
di curro, quæ retrò sunt, obli-
scens, ad ea verò, quæ sunt priora
ardenter extendens meipsum, te
comitante, ac protegente, ad de-
stinatum finem persequar, ad bra-
vium supernæ vocationis DEI.

In CHRISTO JESV Domi-
no nostro; qui tecum vivit, & re-
gnat, in unitate Spiritûs Sancti
DEVS, per infinita sæcu-
lorum sæcula.

